

col. 01. 01. 1.

CONSILIORVM

SIVE MAVIS

RESPONSORVM

ROLANDIA VALLE,

IVRIS CVM CIVILISTVM PONTIFICII
CONSULTISSIMI PATRICII CASALENSIS,

equitis, ac in Senatu Montisferrati Præsidis dignissimi.

Liber Quartus.

CVM INDICE RERVM OMNIVM LOCVPLETISSIMO.

*Cum Priuilegijs Summi Pont. Casarea Maiestatis, Regis Christianissimi; Catholici
Regis Hispaniarum, ac Illustriss. Senatus Veneti & aliarum Principum.*



VENETIIS,

Apud Franciscum Zilettum, & Franciscum
Portonarium. MDLXXVI.

BEATISSIMO
SANCTISSIMO QVE
D. D. NOSTRO PONT. MAX.

GREGORIO XIII.

Rolandus à Valle Senatus Montisferrati Præses.

S. P. D.



LSI Scio (Beatissime pater) non adeo te abundare otio in tot, tantisque Christianæ Reip. grauiſſimis occupationibus distentum, ut rebus leuioribus, aut nostris lucubrationibus legendis tibi uacare liceat. Tamen cum Regum, Illustrissimorumque Principum, & grauium denique virorum in rebus cum priuatis, tum publicis administrandis, non me lateat sæpenumero huiusmodi Clarissimorum virorum animi vires, corporisque longo labore defatigatas aliquot horis successiuis vel familiarium colloquio, uel alicuius auctoris lectione refici, reparari-

que solitos esse: Ne vigor ille perpetua defatigatione uictus opprimatur, inuiliſque ad obeunda negotia grauiſſima omnino reddatur, minusque promptus ad consilia, resque gerendas efficiatur. Idcirco non putauit alienum mihi fore, neque à tua dignitate abhorre- re, si forte hoc tempore tuæ Beatitudini hoc nostrum consiliorum uolumen offerre, ac dicere uoluimus, atque alijs in rebus maioribus occupatum nimis fortasse audacter interpella- uimus. Tua enim (Beatissime pater) incredibilis in omnes humanitas, & mea in te summa pietas & obseruantia mihi tuæ Beatitudinis fores & aditus patefecit, ut id pio, constanti- que animo, quod proposueram, facerem. Nam cum tria consiliorum uolumina superio- ribus temporibus ad utilitatem (ut reor) legendum in publicum ædiderim sub Illustrissi- morum Principum meorum præsidio atque tutela emisserim, atque cum hoc quartum in lucem dare iam decreuissem, ne sine alicuius præsidio & fauore illud in publicum prodiret, cœpi mecum longa animi mei indagazione dispicere, cui potissimum, tanquam tutori ac patrono dignissimo committerem, ut sub protectione non uulgari in hominum manus tutius perueniret. Nemo tamen mortalium hoc tempore mihi in mentem occurrit, quam meis huiusce uotis magis responderet, quam tui nominis amplitudo, & summa tuæ dignita- tis auctoritas, sed neque mihi, uel temeritati, uel arrogantia ascribas quæso, si tuam Bea- titudinem, cum qua nulla unquam mihi intercessit familiaritas, quæ meis lucubrationibus uelut arguius esset clypeus elegerim: Nam si seduli parentes liberis suis tutores fidissimos optimosque ac sapientissimos constituere solent, ut illi defendantur, qui per ætatem se tue- ri nequeunt, non erit (arbitror) mihi turpe, sed potius laudabile horum exemplum secu- tus libris meis perinde ac liberis, te talem, ac tantum uirum, uel (ut uerius dicam) salutare numen, tutorem diligere eosque tibi consecrare decreuerim, hoc nostrum qualecunque uolumen: quod tamen si longe sit lectione tua inferius, sanctissimisque ac doctissimis tuis au- ribus indignius, te tamen uel libentissime admissurum & lecturum quoque mihi suadeo, si quando à nauicula Petri moderanda dabitur otium, si minus aliam ob causam, ob hanc certè spero, quod numini tuo dicatum sit. Nosti enim ex Pontificij regulis, sacra esse quæ- cunque sacris adhærent, Tu quippe sacratissimus, sanctissimusque iure dicendus eras longè priusquam ad supremi huius muneris summi Dei propè æquale fastigium, & Maiestatem euehereris: sed quia dici consuevit, non deere ædilitatem sine populi suffragio gerere, Idcirco sacratissimi illi patres, & diuinissimi Heredes Cardinalitio galero præfulgentes, Diuino certè aſſati numine, & tuæ anteaetæ uitæ honestissimis, innocentissimisque mori- bus, & eximia bonarum disciplinarum eruditione, & legum in primis sacratarum cogni-

CONSILIORVM

SEVMAVIS

RESPONSORVM

ROLANDI A VALLE,

IURIS CVM CIVILIS, TVM PONTIFICII
consultissimi, Patricij Cafalensis, equitis, ac in Senatu
Montisferrati Præsidis dignissimi.

Liber Quartus.

SUMMARY M.



VERITAS quāto magis cōteritur, & oppugnatur, tāto magis expulsi nebulis in lucē progreditur, sicut aromata magis reholent quāto magis conteruntur.

Dispositio in feudis regulariter non ualet.

Feudatarius de rebus feudilibus testamentum consueere non potest.

4 *Vasallus communitur non potest de feudo testari pro*

5 *Vasallus non potest de feudo antiquo relinquere unā*

6 *Præstatio iuramenti feudis concessionem arguit.*

7 *Fidelitas licet possit capi dupliciter, tamen per excellentiam dicitur in feudis, & propter talem excellentiam feudum sic denominatur a fide.*

8 *Feudi substantiale non est seruitium sed fidelitas.*

9 *Inuestitura dicitur signum necessarium feudis, declarata in m. 61.*

10 *Actus dubij sicut dignoscuntur & verificantur ex signis, ut testamentum à codicillis, institutio ab exheredatione, donatio causa mortis à donatione inter vivos, contractus enchyrenticus ab emptione, & menditione, ita feudum dignoscitur ex signis, ut quādo de concessione est facta inuestitura & præstata fidelitas.*

11 *Res allodialis secundum communem potest recognosci in feudum, declarata ut in nu. 71.*

12 *Feudum alterationis quoad quid non desinit esse feudum quoad alia, quia quoad alia regulatur secundum naturam feudis, declarata ut in num. 72.*

13 *Verbum donamus, appositum in concessione feudali potest verificari in feudo.*

14 *Feudum est beneficium.*

15 *Concessio non censetur feudalis quando in ea nulla sit*

mentio de feudo.

16 *Arbiter & moderator est quilibet in re sua, etiam in abutendo.*

17 *Concessionis qualitas ex tenore uerborum dignoscitur.*

18 *Princeps si in concessione sua dicit, dono tibi tale Castrum, non censetur iure feudi dare sed iure simplicis donationis, & mere liberalitatis.*

19 *Diversitas uerborum diversitatem rerum designat.*

20 *Dispositio l. pen. C. si liber. Imper. sac. lib. 10. qua loquitur de donatione non trahitur ad feudum.*

21 *Euelctioni non est locus in donatione, nisi ea inceperit à promissione, quod fecus in feudo.*

22 *Dominus quando in concessione utitur uerbo dono uel simili importante donationem, dicitur per eum fieri libera donatio & non concessio feudalis & m. 52.*

23 *Datio feudalis non est proprie donatio sed ob causam datio, quæ à donatione differt.*

24 *Verbum donatio, simpliciter prolatum debet referri ad id quod per prius & proprie est donatio.*

25 *Verbum concedimus, positum in concessione Principis importat donationem.*

26 *Concessio Principis in dubio potius debet iudicari donatio quam feudum.*

27 *Regia nobilitas facit actum dubium præsumi donationem.*

28 *Castrum si est dignitatis & Comitatus, in dubio concessio facta de ipso per Principem præsumitur libera & non feudalis.*

29 *Principes omnes licet subsint Imperatori generali promissione, ex hoc tamen argui non possunt, & tamen subsint iure feudi.*

30 *Bona in dubio præsumuntur allodialia.*

31 *Res præsumitur allodialis ac libera & non feudalis, nisi uerè uel præsumptiue probetur feudalis.*

32 *Res feudalis dicitur quandam habere seruitutem.*

33 *Res omnis præsumitur libera habito respectu ad originalem habitum, propter naturalem similitudinem rerum.*

quia de hoc dixi abundè aliàs in consil. 64. uol. 2. & alibi, ideo ad ibi dicta me remitto, & tanto magis id fieri debet, cum feudum istud paternum non reuertetur ad dominum sed ad alios agnatos, ut scripsi in dicto consil. 64. Surfat. in consil. 97. nu. 14.

Nec etiam obitare habet, quòd inuictissimus Carolus Quintus quando inuestiuit nunc Catholicam Maiestatem De Ducatu Mediolani, pariter eum inuestiuit de Comitatu Anglerie: Quia respondetur, hoc esse plus quam uerissimum respectu dignitatis ipsius Comitatus & directi dominij Anglerie & eius plebis, non autem de utili dominio, de quo erat in feudatus dictus Illustris Comes Ioannes Baptista, uel eius antecessor, quod non erat apud suam Maiestatem Cesarum, quæ operantur, ut concessio ipsius Cesaris non potnerit se extendere ad id, quod non erat ipsius concedentis tempore ipsius concessionis: Nam tunc modo dat quod non habet. l. si uniuersæ. C. de leg. & ideo dicit Bart. l. sic, quem communiter ibi sequuntur Serben. de leg. 1. quòd si Comes cõcesit ecclesie quicquid iuris habet in tali loco, concessio illa non ualet & nihil operatur, nisi constet de iure concedentis, quia incertitudo impedit acquisitionem possessionis & per consequens usucapionis. l. 3. §. incertam. ff. de acqui. poss. Alex. in consil. 87. nu. 9. uol. 2. ubi ait, hoc etiam procedere, si specifice res singulariter, & cõ expressione confinium, quem sequitur Dec. in consil. 302. col. 3. in fi. Craue. in consil. 292. col. 1. Hinc dicit Rui. in consil. 13. nu. 7. uol. 1. quòd donatio imperialis

facta Monasterio Sancti Michaelis de Curia, que dicitur Zena, non tribuit aliquod ius ecclesie, nisi ostendatur, quòd illa Curia spectaret ad Cesaream Maiestatem: quia per illam Cesar uideatur tantum donasse ius quod in illa habebat. L. que nondum. §. quod dicitur. ff. de pigno. Craue. in consil. 124. ubi post Castren. inquit, quod si fundans ius suum in inuestitura alterius habet probare de iure inuestientis, & istud est quod dicimus successorem debere probare de iure authoris sui: quia non sequitur, talis uendit uel donauit mihi rem, ergo erat dominus & ius habebat in ea: Multa alia similia allegare possem, uerù aliàs scripsi, ut in consil. 82. nu. 5. cum pluribus sequentibus uol. 2. & in consil. 1. nu. 36. uol. 3. ideo ibi scripta amplius non repetam, ne uideatur membranas occupare. Vnde ex his concludendum omnino esse arbitror, cum Comitatus Anglerie sit quid separatum & distinctum à dicta Arce, terra & plebe, præfatum Illustris Comitè Ioannem Baptistam, pro quo militat omnis ius titia, & equitas, in ipsa Arce, terra & plebe in pace dimitendum, prout firmiter credendum est, Maiestatem suam sic facturam, cum moris semper sui fuerit iustitiam facere, ut Regi conuenit 2. q. 1. c. Regam. & ipsius terminos non egredi. Item in processu constitutionum in 2. charta bonaque fidelium non percipere. Affili in c. Conradus nu. 4. de prohi. feudi alie. per Lotha. & uasallos suos ab oppressionibus defendere.

Deo gratias.

FINIS.

Series Chartarum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X.

Omnes sunt Quaterniones, præter X, qui est Ternus.

Tabula per se patet.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is too light to transcribe accurately.]

